Rerum humanarum est Circulus.

CIrculus assidua qui se vertigine torquens,
In se gyrato tramite currit iter;
Quàm viua est vitæ semper labentis imago,
In se quæ tritas itq; reditq; vias!
In se, non rectá. Secus, aut in peius abibit
Semper, & humanum sic ruet omne genus:
Aut fiat melior semper, vitâq; fruemur
Diis æqua; diuûm sic cadet omnis honos.
Elige: num fiunt tantùm peiora? peribit
Omne genus nostrûm; num meliora? deûm:
Quid? non absorbent secla, absorptosq; reiectant
Virtutem, & mores cum pietate bonos?
Sic & musarum dispensant stamina Parcæ;
Et reduces, iures cúm periisse, vides.
Sic post sceptra Iouis redeunt Saturnia: sic post
Consumptas quadras copia læta venit.
Cuncta fluunt refluuntq;: æquato examine lances
Sustinet omnipotens, qua rotat astra manu.
Sustinet, & fatum imponit regnûmq; virûmq;,
Virtutis, morum, Martis, & artis idem.
Pondere devergit lanx hæc, mox emicat altè:
Illa bonis lanx est, illa referta malis.
Non semper vergit lanx illa vel illa; nec vltra
Vergere mensuras illa vel illa potest.

Ergo fluunt humana, sed alternantia; cedunt
Optima quæq; malis, pessima quæq; bonis.

Nili incrementum est Διοπετής.

NOn pauci populi, non pauci quærere reges
Olim dignati, fons vbi, Nile, tuus.
Fonte sed intacto, nos incrementa (quod ipsum
Quæstio non minor est) quærimus vnde fient:
Nempe quod æstiuis, cùm findit Sirius agros,
Cæteraq; absumit flumina, crescis aquis.
Anne quód Oceanus tunc in te irrumpit? At ille
Salsus, item salsas suppeditaret aquas.
An quòd ab Antipodum terris erumpis? At assis
Tum quoque torretur solibus illa plaga.
Anne per occultas tunc flumina cuncta latebras
Conglomerantur? At hoc credere vana fides.
Anne quòd aggestis claudit tua ventus arenis
Ostia, tum solitus sollicitare Thetin?
At priùs exundas, quàm ventus is incipit: & cur
Flumina non etiam Græca tumere facit?
Restat, vt à Iove sint. Nam queis excrescere possis,
A Ioue tunc imbres excipis atq; nives.
Longiùs à Capro nam cùm sol brachia Cancri
Aggreditur, partim temperat ipse Caprum:
Vnde, licèt tunc non Aegypto pluuerit, at sub
Capro (primus vbi fons tibi, Nile) pluit:
Partim etiam gelidas sub Cancro torridus æstu
Soluit Marmaricæ per iuga summa nives.
Vndiq; tum capiens vnus pluviasq; nivesq;
Alueus, in latos æstuat altus agros.

Ergo Iovem, Nili potor, non obiice Græcis;
Non minùs es Græcis indigus ipse Iovis.